



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XII. Romæ discipulos fidei desertores esse, & mercedis defraudatores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. XII.

R. mæ discipulos fidei desertores esse & mercedis defraudatores.

1. **S** Edulo ergo agere cœperam, propter quod veneram, ut docerem Romæ artem Rheticam: & prius domi congregare aliquos, quibus & per quos innotescere cœperam; & ecce cognosco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam revera illas eversiones, à perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestatum est mihi. Sed subito inquiunt, ne mercedem magistro reddant, conspirant multi adolescentes, & transferunt se ad alium, desertores fidei: & quibus præ pecuniæ charitate, justitia vilis est. Oderat etiam istos cor meum, quamvis non perfecto odio. Quod enim ab eis passus eram, magis oderam fortasse, quam eo, quod cuilibet illicita faciebant.

2. Certe tamen turpes sunt tales, & fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporum, & lucrum luteum, quod cum apprehenditur, manum inquinat: & amplectendo mundum fugientem, contemnendo te manentem & revocantem, & ignoscētē redeunti ad te meretrici animæ humanæ. Et nunc tales odi pravos & distortos, quamvis eos corrigendos diligam: ut pecuniæ doctrinam ipsam, quam discunt, præferant: ei vero te Deum veritatem, & ubertatem certi boni, & pacem carissimam. Sed tunc eos magis pati nolebam malos propter me, quam fieri bonos propter te volebam.

V S V S.

## V S V S.

1. Vbiq[ue] in vitia effunditur juventus, nisi sev[er]iori disciplina coercentur, proni enim sunt ab adolescentia, & præcipue in illa, sensus hominis ad malum. Non reperit S. D. eversiones Carthaginenses Romæ, in alia tamen vitia discipulorum incurrit. Nihil juventuti & Reipubl[icæ] perniciosius est iis Academiis & Gymnasiis, ubi cura pietatis negligitur. Recte hæc dixeris esse seminaria flagitiosorum hominum & publicarum calamitatum, unde redeunt juvenes domum, *sine scientia, sine conscientia, sine pecunia*; <sup>3 p. sum.</sup> indocti, impii, prodigi, ut conqueritur S. Anton. <sup>Theol.t.</sup>
2. Expendant avari S. D. fulmen. Lucrum luteum, cum apprehenditur, manum inquinat non <sup>5. s. c. 2.</sup> tam corporis quam animi, sive voluntatem, quæ immodico opes cumulandi studio peccat. <sup>5. 11.</sup>
3. Ille perfecto odio odit peccatorem, qui dolet illum Deo esse contrarium, non sibi: & ideo illum detestatur, exemplo S. D.

## C A P. XIII.

*Mediolanum ad docendam Rheticam missus à S. Ambroſio paterne ſuceptus eſt, cuius ſola facundia initio delectabatur, rerum contemptor.*

1. Taque, poſtequam miſſum eſt à Mediolano Roīam ad Præfectūm urbīs, ut illi civitati Rheticā magiſter provideretur, impertita etiam evēctione publica, ego ipſe ambivi per eosdem ipſos Manichæis vanitatibus ebrios (quibus ut carerē, ibam, ſed utriq[ue] nesciebamus) ut dictione proposita me probatū, Præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambroſium Episcopū, in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum: cuius tunc

H 3

elo-